



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Reverendissimo Ac Illvstrissimo Principi Et Domino, Domino Francisco
Gvilielmo Episcopo Ratisponensi, Osnabrvvgensi, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)



REVERENDISSIMO AC IL-
LUSTRISSIMO PRINCIPI ET
Domino, Domino

FRANCISCO
GVILIELMO

EPISCOPO RATISPONEN-
SI, OSNABRVGGENSI, MIN-
DENSI, ET VERDENSI, COMITI
IN WARTENBERG ET SCHAVMBVrg,
DOMINO IN WALD ET HOHEN-
BERG, &c.

Domino suo Clementissimo.

SOLENNE quidem Prin-
cipibus est, REVEREN-
DISSIME AC ILLVSTRIS-
SIME PRINCEPS, ab ignotâ ma-
nu alimenta non accipere; ne
forsan in eorum vitam aut alie-
no are, aut suomet odio subor-
natus

A 3

natus

DEDICATIO

natus parricida in Cerere & Baccho
 morrem propinet: hinc vina & dapes
 non nisi viliori gulâ prius explorata
 contingunt; vt, si pincerna seu auctor
 sceleris seu minister fuit, reus in ipsâ
 culpâ poenam bibat; aut si in fonti
 pocillatori alius venenum miscuit,
 minori jacturâ vita Principum redimatur.
 At ego, dum REVER^{ma}, ac ILL^{ma}. CELSITV-
 DINI V^{ra}. *Pietatis Alimenta*,
 ceu ad Solis Germani mensam,
 appono, spero, me suspitione
 cuiuscunque criminis carere;
 quòd Pietatis, quæ est ad omnia,
 & idcirco etiam ad vitam utilis,
 Nutrimenta adducam: quæ in
 Gallico solo nata & sata, Latinae
 etiam gulæ paravi; vt, vnde ar-
 morum Cadmea seges visa fuit
 nostræ

INTERPRETIS.

nostræ patriæ inferri, eidem agro
caelestem quoq; segetem debea-
mus. Nisi fortassis ideo possim
reprehensionem incurrere, siue
quòd imperitus œconomus be-
ne natas fruges & alimenta malè
condiam; inque lance parùm ni-
tidâ hæc Pietatis lautitias Prin-
cipi mensæ inferam; siue quòd
caelestium rerum copiæ innatan-
ti REVER^{mæ}. & ILL^{mæ}. CELS. V.
minora hæc scitamenta obtru-
dam, velut vndas Oceano, solî-
ue lucem additurus. Quâ in re
propè meipsum erroris arguo,
dum mecum reputo, ignem jux-
ta Philosophiæ placita in nativo
loco, vbi elementorum inferio-
rum fines prætergressus ad pa-
triam Cælo vicinam euolauit, a-
limenti non egere: quòd verò

DEDICATIO

in terris bitumine, ligno, pice alijsque fomentis alatur, ignis exilio ac desiderio esse tribuendum, qui absque huiusmodi pastu extra suam ditionem in terris retineri se non pateretur, alioquin non secus ac quoduis animal sine cibo extinguendus. Iam vero quis neget **REVERENDISSIMAM ac ILLVSTRISSIMAM CELSIT. V.** inferiora hæc non vitæ modò fastigio, sed animo quoque longissimè supergressam ad Cæli confinia subsistere, vbi non vt aliæ in terris luces, quæ fumū in igne vehunt, foris admotis fomentis sustentatur, sed suometnatio splendore lucem & ignem tuetur; vtpote cui familiare ac innatum est, sponte suâ sine lychno & lucernâ **ILLVSTRIS-**
SI-

INTERPRETIS.

SIMVM esse? Verùm vteunque
videar in leges decori peccâsse;
confido REVERENDISSIMAM &
ILLVSTRISSIMAM CELSIT. V.
hæc qualiacunq; Alimenta tan-
tò clementiori oculo esse admis-
suram, quod Principum palatis
seu modestiæ seu animi causâ
nonnunquam vulgaris mensa
præ suis lautitijs arrideat. Gratu-
labor mihi, si hic labor meus, et-
si ad REVERENDISSIMÆ & IL-
LVSTRISSIMÆ CELS. V. pro-
uocandam orexin nihil habeat
illecebræ, in cætero herilis men-
sæ apparatus merebitur Illustris-
simis oculis vel in crustâ conspi-
ci; cùm & illa gloria non sit par-
ua, quam ex aspectu Principum
dapes, ceu ad spectaculum in-
scenam productæ, consequun-

A S tur.

DEDICATIO.

tur. Erit nihilominus, vt existimo, in S. JOSEPHI fabri omnium felicissimi officinâ segmentum quoddam & assula, quæ Illustrissimæ etiam flammæ, accensisque in DEVM ac Cælites studijs, possit alimentum præbere; cuius ardentis publicus odor balsama, thuris liquati nubes, vstasque Cedros antecedit; in cuius rogo REVERENDISSIMA & ILLUSTRISSIMA CEL. V. ceu Patriæ Phœnix, in posterorum memoriâ semper rediuiua, aut veriùs nunquam sepulta æternum viuat. Faxit DEVS, vt his *Pietatis Alimentis* REVERENDISSIMA & ILLUSTRISSIMA CELS. VESTRA suâ sponte semper Cœlo vt patriæ imminens, apud nos iniectis amoris seu fomen-

INTERPRETIS.

mentis, seu compedibus reten-
ta, serò terras deserat. Ita pre-
cor, Landishuti Kalend. Martij,
1650.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ
Celsitudinis Vestræ

Deuotissimus

ADAMVS Schirmbeckh
SOC. JESV.